

tum & circumscriptum, contra *Zwingl. Beza* aliosque, sed super omnes caelos ascendit, *Ephes. IV, 10.* jam per plenariam Majestatis divinae usurpationem, *Marc. XVI, 19. I. Petr. III, 22. Hebr. I, 13.* caelum ipsum Majestaticum intrans, *Pf. CXLII, 1. Reg. VIII, 30.* Contra *Erasm.* Ab hoc enim, ut descendit, ita etiam ascendit ad illud. Unde tamen non excludimus $\omega\delta$ illud beatorum, quod nobis sua ascensione iterum acquisivit, ut patet ex scopo CHRISTI, & verbo $\alpha\nu\alpha\beta\acute{\epsilon}\beta\eta\kappa\epsilon\nu$, quod praeteritum, vel ante homines ad Nicodemum viventes referimus, vel si maximè ad CHRISTUM referendum propter certitudinem & continuum fructus in nos redundantis actum pro futuro positum, *Esa. IX, 6. Job. XV, 8.* cum *August. Beda, Hunnio, Chemnitio* dicimus.

XXXIII. Descendit CHRISTUS de caelo majestatico, non quod locali profectioe caelum reliquerit, vel carnem de caelo attulerit, *Act. XIII, 23. Rom. I, 3.* Contra *Valentinian. Schwenckfeld. Apollinarium,* vel quod è Spiritu S. conceptus fuerit, ut quidam volunt. Sed quod ut aliqui statuunt, vel carnem nostram assumerit, & sic personam hanc, ut DEUM descendisse, non quidem propriè, sed per visibilem assumptæ carnis manifestationem, *Gen. XI, 6. 7. cap. XVIII, 21. Job. I, 14.* vel potius quod sese exinaniverit, & tunc, ut hominem descendisse dicimus, & hanc posteriorem, praesupposita tamen priori, contextui maximè convenientem arbitramur, & sic $\gamma\omega$ usurpatur *Deut. XXVIII, 43.* Unum igitur tantum descensum vi phraeos, *Job. XIII, 3. c. XVI, 28.* statuimus, qui, quo ad verba licet posterior sit, quo ad rem tamen, scopum CHRISTI ex descensu ascensum probantis, & aliàs loquendi modum usitatum, ipso ascensu prior est, *Ephes. IV, 9.* Contra *Photin. Ostorod. in instit. c. 16. Enjed. p. 298. Socin. de DEO Christo & c. p. 12. Smalc. de divin. Christi p. 11.*

XXXIV. Merito autem nos concludimus. Contra *Photin. Ostorod. c. XVI. pag. 92. Smalc. contra Frantz. in disp. de Persona CHRISTE Socin. de Divin. Filij & Spiritus Sancti* hunc filium hominis, quia de caelo descendit ita ut sit $\omega\nu$ existens (non erat, ut *Beza, Erasm. & Photiniani* volunt, propter $\tau\alpha\upsilon\tau\omicron\lambda\omicron\gamma\iota\alpha$ inde in his verbis emanantem, nullam in Scripturis nisi per accidens participij praesentis talem usurpationem, & expressam distinctionem. *Apoc. I. v. 8.* In caelo, esse simul verum DEUM, cui per essentiam caelum divinae Majestatis & gloriae proprium est: Filius hominis vero dicitur propter hujus nominis à Daniele *c. VII. v. 13.* Messiae attributione, & veram humanita-

B 3

tem